OBSERVATIONES
THUCYDIDEAE GRAMMATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVIII. MENSIS MARTII MDCCCLXXII

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS FLOECK
RHENANUS.

MARBURGI.
TYPIS C. L. PFEILII.
MDCCCLXXII.

Praefatio.

Postquam diligentissimis studiis, quae in lectione optimorum prosae, quam dicunt, orationis auctorum erant sita, ars grammatica in universum est expedita, restat ut singulorum scriptorum proprietates singulas, quae potissimum in exquisitioribus dicendi formis et partim paulo rarioribus sunt positae, conferamus earumque usum varium ac multiplicem accuratius perscrutemur. Quod quis maxime valere ad interpretationem neget?

Quare cum in Thucydide, difficillimo omnium intellectu scriptore, quem jam inde ab ejus cognitione adamavi, adhuc multa incerta ac dubia interpretatione laborarent, operae pretium neque ingratum mihi esse videbatur, proprietatibus ejus grammaticis persequendis operam dare. Sed cuncta hujuscemodi colligendo illustrandoque meus labor non suffecit nec quisquam vel longissimo studio facile complectetur; quare unam

mihi materiam: „*de ratione, quae inter infinitivi praesentis et aoristi et futuri apud Thucydidem usum intercedit*“ tractandam elegi. Omnium autem maxime de temporum, ubi de refutura agitur, permutatione mihi dicendum erit. Hanc igitur rem, cum in libris grammaticis, quos inspicere licuit, si non plane neglecta, at certe non ea diligentia, qua par erat, exposita atque explicata sit, ejusque rei observatio inprimis ad cautionem in locis corrigendis conferre videatur, alii denique viri docti multa in incerto reliquerint, majore cura amplectendam mihi in Thucydidis lectione persequendamque in hoc libello proposui.

I.

§. 1.

Ordiamur igitur a praesentis infinitivo. In volgus notum est, illum esse participem temporis ac significationis indicativi et ad actionem infectam ac durantem spectare. Exemplis nihil opus est, cum ubique obvia sint.

Nec minus vero vice fungitur imperfecti, ubi durans praeterito tempore conditio indicanda est. Cum hic infinitivi praesentis usus non ita frequens sit et Latina lingua hac in re prorsus a Graeca differat, ut infinitivus perfecti illam vim habeat, facere non possum, quin hoc loco nonnulla exempla afferam: I, 32: *δοκεῖ δέ μοι οὐδὲ τοὔνομα τοῦτο ξύμπασά πω εἶχεν, ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸ Ἕλληνος καὶ πάνυ οὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις αὕτη, κατὰ ἔθνη ἀφ᾽ ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι*: hi igitur sunt infinitivi imperfecti, quod satis comprobat variata structura: *οὐδὲ — εἶχεν.* —

E connexu rerum explicandi sunt hi loci: I, 10: *οὐκ εἰκός, πολλοὺς — ξυμπλεῖν,* ubi scriptor judicium suum de expeditione Trojana multis saeculis ante facta cum lectoribus communicat. Porro legimus II, 18:

δοκῶν καὶ ἐν τῇ ξυναγωγῇ τοῦ πολέμου μαλακὸς εἶναι; cum bellum tunc jam diu sit inceptum, εἶναι ad praeteritum tempus pertinere oportet.

Dilucidius praeteriti significatio indicatur II, 54: φάσκοντες οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ᾄδεσθαι i. e. in oratione indicativa: πάλαι ᾔδοντο. Conferas praeterea IV, 21: νομίζοντες — ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ ἐπιθυμεῖν, ... δὲ ... κωλύεσθαι; V, 29: δίκαιον γὰρ εἶναι: aequum enim fuisse; VIII, 86: ἐξεῖναι[1]) γάρ, ὅτε ἐςέβαλον .... τοῦτο ποιῆσαι.

§. 2.

Hic igitur infinitivi praesentis usus offensionem non habet, sed magnam difficultatem explicandi ideoque magnam materiam dissentiendi praebet infinitivus aut praesentis, id quod in unaquaque fere lingua fieri potest, ut praesens vice fungatur futuri, aut aoristi, qui usus Graecae linguae tantum est, ubi de re futura agitur, quam ob permutationem temporum adhibitam Thuc. a Dion. Halic. (epist. ad Ammaeum II. 12) valde vituperatur. Multi enim loci apud scriptorem nostrum exstant, ubi, quamquam infinitivi actio ad futurum tempus spectat, tamen nudus infinitivus aut praesentis aut aoristi usurpatur. Quo jure mox videbimus. Priusquam autem meam ipsius sententiam proferam, aliquid de sententiis, quas recentiores grammatici publici juris hac de re fecerunt, disseram. Alii enim ad alia artificia confugerunt.

Primum igitur viri illi critici audiendi sunt, qui omnia exempla, quae regulis a grammaticis propositis

1) Cf. Kruegeri gramm. gr. §. 53. 2. 9.

repugnarent, suspecta esse rati, nulla ratione scripturae praestantissimorum librorum habita, corrigere audent. In his imprimis est numerandus Cobetus[1]), qui, ut omnia ad certae regulae exigeret severitatem, aut particulam ἄν, quae excidisset, vel cum verbo coaluisset, adjecit, aut, ubi haud magnum discrimen inter infinitivum praesentis vel aoristi et futuri existit, a librario esse peccatum et futurum sine ulla cunctatione restituendum esse existimavit. Contra quem monendum est, infinitivos illos praesentis vel aoristi aut consensu omnium aut, ubi lectiones fluctuant, certe optimorum codicum auctoritate defendi et facilius librarios usitatam loquendi rationem in rarioris locum substituere potuisse, quam contra. Denique, si omnia, ut hoc, variae ac subobscurae orationis Thucydideae genera corrigendo amovere vellemus, quid fieret de Nostri scriptis eorumque indole? Num igitur credis, illi tales correctiones gratas esse? Itaque prorsus persuasum habeo, permutationem illam temporum non temere esse factam.

Quod bene quidem intellexit Herbstius[2]), qui illum refellere studens in eo a vero aberrasse videtur, quod haud respiciens infinitivum praesentis quasi dogma posuit jam per se constans neque ulla egens argumentatione, in infinitivo futuri sitam esse durantem actionem, infinitivum aoristi vero, aliquo temporis futuri momento aliquid eventurum indicare. Sed, ut hoc unum afferam, quid impedit, quominus etiam futurum

---

1) Cf. Variae lectiones pag. 97 sq.

2) Cf. C. G. Cobets Emendationen im Thuc. pag. 15. 16.

tempus adhibeatur, ubi res semel unaque actione sit gerenda: nam hoc, opinor, nemo audeat pronuntiare, hanc vim esse alienam a futuro neque quidquam isto futuro significari, nisi quod diutius sit duraturum?

Paulo mediocrius Cobeto de ea re egit Madvigius [1]), grammaticus ille acutissimus, cum illis tantum locis, in quibus nudus infinitivus praesentis vel aoristi in locum futuri vel alterius illorum temporum infinitivi cum ἄν particula copulati post verba putandi et dicendi substitutus est, emendandis operam daret. De ejusdem sententia, quae ad aliorum verborum, ubi ad rem futuram spectant, constructiones pertinet, infra suo loco agam. In universum hujus viri vestigia pressit R. Schneiderus [2]). Singula hic afferre supervacaneum esse videtur.

Deinde haud probabilia statuisse videtur Poppo [3]), qui de Thucydidis interpretatione optime est meritus; is enim infinitivum praesentis sive aoristi pro futuri infinitivo post verba sperandi, credendi et similia poni dicit per negligentiorem sermonem, qui apud nostrates constans nec Latinis ignotus sit. Quod autem quale mihi esse videatur, infra (§. 3), ubi de universis illius temporum permutationis causis disseram, exponere conabor.

1) Cf. Bemerkungen über einige Puncte der griech. Wortfügungslehre, pag. 42—44.

2) Cf. Quaestiones Xenophonteae, dissert. inaug. Bonnae 1860. pag. 28—36.

3) Cf. Prolegomena ad Thuc. pag. 154 et Observ. crit. in Thuc. pag. 149 sqq.

Voemelii[1]) vero rationem, qui, postquam Wunderlichii miram interpretationem impugnavit ac refutavit, locum esse aoristi sive re postulante praesentis, ubi non tempus futurum, sed sola actio significetur, judicat, per se fateor, cum ab omni parte satisfaciat omniumque sit simplicissima, minime displicere.

Ad eandem fere sententiam accedere videtur Bernhardyus[2]), qui illam rem tantum attigit, ut aliis, ut ipse ait, inquirendam relinqueret. Id quidem offendere oportet, quod vir ille doctissimus nonnisi aoristi infinitivi rationem habuerit, ac si nusquam praesentis infinitivus hac in conjunctione adhiberetur. Quo modo autem fieri potuerit, ut idem in annotatione 43 rem ex analogia, qua Latini saepiuscule perfecti infinitivo uterentur — („poteras dixisse, ignovisse velimus“: quorum infinitivorum vim parum recte intellexisse videtur)[3]) — expediri posse moneret, equidem intelligere non possum. Quare hanc rem eo magis praetereundam arbitror, quo minus refutatione indiget. Ceterum ejusdem viri libellum, qui inscribitur: „Paralipomena syntaxis graecae“ (pag. 41—43), frustra me petiisse piget. Fortasse enim rectius judicaverit.

---

1) Cf. Praefatio ad Demosthenis oratt. contra Aeschinem; pag. XVIII.

2) Cf. Wissenschaftliche Syntax der griech. Sprache, pag. 384.

3) Immerito enim illius perfecti infinitivum ab eis potissimum scriptoribus, qui Graecos sunt imitati, ita adhibitum esse dicit, quamquam ne Ciceronem quidem aliosque ab illa constructione abhorrere scimus. Itaque magis probanda esse videtur sententia eorum, qui in illo perfecto propriam vim esse sitam, cum hac in re Latini aliam ac nos sentiendi rationem sequantur, putant.

Praeterea haud inutile esse monere puto, liberas illas constructiones, quae etsi rarae sunt, in omnibus linguis pro ipsa linguae cujusque indole et ingenio inveniuntur, plerumque simili similium verborum usu firmari. Neque enim in arte grammatica aestimanda negligi debet principium sensus, quae est ea vis sentiendi, quae leges proprie grammaticas i. e. natura linguae innatas excedit et nos jubet, certe sinit, uti licentia in verbis construendis.

Quam viam explicandi iniit Lobeckius[1]), quum verba, quae huc pertinent, pro varietate significationum modo infinitivum futuri, modo aoristi (sive praesentis) sequi contenderet. Sed in singulis a summi viri auctoritate discesserim.

Quid denique alii de illa re senserint, idoneo loco, quoad juvat, commemorare haud praetermittam.

§. 3.

Ante omnia hoc fundamentum hujus dissertationis statuendum esse puto, ut scripturam ex praestantissimorum librorum auctoritate tueri ac defendere studeam.

Hoc loco nonnulla de libris manuscriptis addere placet. Codices igitur Thucydidis tot supersunt, ut hic de singulis exponere longum esse ducam; quorum accuratae notitiae si quis cupidus sit, adeat praeter ceteros Popponem p. II. vol. I. pg. 28 sqq., qui libros diligenter examinatos in genera ac familias digerit. Itaque meum esse officium videtur, hic de auctoritate ac bonitate librorum, qua in re sine dubio ars critica

1) Cf. Parergorum ad Phrynichum, cap. VI.

nititur, pauca monere. Inter omnes fere viros criticos constat, Augustanum, seculo duodecimo antiquiorem, et Casselanum, scriptum anno MCCLII, (quos Baverus in praefat, ad Thuc. pag. IV sqq. describit) tantum auctoritate valere, ut omnibus ceteris palmam praecipiant. Quare in mea scriptura hos libros potissimum, praesertim cum plerumque consentiant, me sequi neminem offendere debet. Quibus adjici potest Vaticanus, de cujus fide ac dignitate tanta est inter editores dissensio, ut lis adhuc sub judice esse videatur. Quare ut brevibus illustrem ea, quae singuli protulerunt, permittas velim. Poppo quidem tum multis exemplis Vaticanum in sex prioribus libris saepius explicationes atque interpolationes continere, id quod equidem negare non possum, tum interdum, potissimum in duobus libris postremis, ubi a reliquis libris destituimur, veram scripturam exhibere, ut illi obstare non possimus, demonstrat. Hac de causa Bekkerus et Boehmius huic codici plurimum tribuere haud dubitarunt, quae benevolentia nimia esse videtur. Quare errare mihi non videor, si Vaticanum in posteriore Thucydidis parte aestimanda magni faciendum, omnino vero Casselano Augustanoque posthabendum esse statuo. Porro inter primarios numerari possunt: Clarendonianus, Palatinus, Italus, Parisienses C, F, G (Regius), H; hi igitur libri praestantissimi duci solent. Nec vero spernendi ac mediocres judicandi sunt hi libri, quibus jam majore cum cautione utendum est: Basiliensis, Graevianus, Marcianus, Laurentianus, Lugdunensis, Parisienses I, D., Vindobonensis. Ultimum locum pessimi libri

obtinent: Mosquensis, Arundelianus, Cod. Collegii Corporis Christi, Danicus, Monacenses m et b., Barrocianus.

Sequitur, ut quales in universum sint causae, cur Thucydides infinitivum praesentis vel aoristi modo nudum modo cum ἄν conjunctum modo futuri adhibuerit, exponam. Neque enim mihi persuadere possum, optimos illos scriptores, quos excolendo dicendi generi summam operam dedisse constat, sine ullo certo consilio a severiore dicendi norma recessisse et tales insolentias, quales tam crebro nobis occurrunt, inconsulto admisisse; immo vero in hac negligentia, quae videtur, certum finem secutos esse dicam. Quis igitur est, qui miretur, Thucydidem, cujus lingua, quamquam vix e cunabulis prodiit et in pueritia admodum versabatur, tamen non erat rudis atque inculta, immo subtilitate ac sublimitate abundabat, et in ceteris rebus et in hac re, de qua me acturum professus sum, multa cum libertate varias structuras usurpasse, ut recte *ποικιλώτατος* sit vocatus? In hac autem oratione variata, quae Nostro tam propria est, eximia quaedam subtilitas esse solet. Deinde neminem, qui aliquam tantum cum scriptore nostro contraxerit familiaritatem, certe fugit, illius scripta ea esse indole, ut plerisque locis lectorem ad cogitandum excitent et reddant attentiorem, cum historici id sit officium, id maxime agere et efficere, ut lector res illas, quas describat, suo sensu percipere possit; quare illi eae potissimum verborum structurae sunt eligendae, quae huic fini optime consulant. Hae igitur sunt praecipuae causae orationis Thucydideae variatae.

Praeterea, si reputamus, linguam Graecam, quae

est varia et libera ideoque venusta, magis sensum in construendis verbis sequi solere itaque longius progredi a nativis ad vicinas constructiones, apparet, unde tam ingentem locorum multitudinem Thucydidis scripta exhibeant, qui ob insolitam structuram saepius difficiles sunt explicatu.

§. 4.

Causis igitur universis expositis, ad quaestionem ipsam transeamus, quibus rationibus scriptor sit adductus, ut iis locis, ubi de re futura agitur, post quaedam verba modo infinitivo praesentis vel aoristi, modo futuri vel alterius illorum temporum infinitivo cum particula ἄν sociato uteretur: id quod diligenti observatione minime indignum esse videtur. Omnino igitur lingua Graeca usu satis docet, in oratione directa, ubi de refutura est sermo, aut futurum tempus, ut quippe quod officium sit indicativi, res praedicata vere eventura exprimatur, aut, ut leniter ac modeste contendatur, rem aliquam verisimiliter esse futuram, optativum cum ἄν particula conjunctum, seu praesentis, cum res perficienda aliquantisper duratura, seu aoristi, cum res cito transitura dicatur, usurpari. Jam vero ea sermonis lex, quae in oratione recta regnat, num mirum cuiquam videbitur, quod itidem in oratione obliqua observatur? Longum est, cum hic dicendi usus satis notus et in omnibus scriptoribus sit tritus, exempla enumerare.

Sed hoc loco facere non possum, ut hanc quaestionem praetermittam, de qua viri docti diu multumque certaverunt: num particula ἄν futuri indicativo itaque

etiam infinitivo adjici possit, quod R. Schneiderus[1]), illius particulae vi parum clare perspecta, negat, cum una eademque res non possit confidenter et dubitanter simul proferri. Sed quamvis sint variae singulorum sententiae, tamen quaedam possunt stabiliri, quae nescio, an omnes concedere debeant. Clare ac perspicue de ea re disseruit L. Schmidtius[2]), qui de studiis grammaticis optime est meritus. Rem diligenti examine perpendenti haec differentia occurret. Nemo enim potest infitiari, particulam ἄν etiam in oratione indicativa, si recedis a sententiis conditionalibus, quorum argumentum a realitate, ut ita dicam, abhorret, cum indicativo copulari, velut cum indicativo aoristi, ubi is, qui loquitur, se rem non penitus tenere significare velit et cetera illustranda audienti relinquat. Idem fere valet de indicativo futuri, qui sociatus cum particula ἄν ita differt ab optativo cum ἄν conjuncto, qui dicitur potentialis, ut haec particula optativi sententiam per se incertissimam, cum illum modum ea, quae mera cogitatione enata ideoque non ad eventum revocata ponantur, exprimere inter omnes constet, haud paulo faciat certiorem, futuro addita autem imminuat rei probabilitatem. Cujus rei exempla congessit L. Herbstius[3]), correxit imperiose, ut solet, Cobetus[4]). Tale

---

1) Cf. l. c. pag: 30.

2) „De omissa apud optativum et conjunctivum ἄν particula.“ Marburgi 1867 pag. 9. — De tractandae syntaxis graecae ratione. pag. XIV. Marb. 1870. — Observationes de analogia et anomalia in syntaxi graeca. pag. V. Marb. 1871.

3) Cf. über ἄν beim futur. im Thuc. Hambg. 1867.

4) Cf. V. L. pag. 92 sqq.

exemplum exstat I, 140: *σαφὲς ἂν καταστήσετε*; quam lectionem multis ac bonis libris proditam alteri *καταστήσαιτε* praeferendam esse e connexu sententiarum demonstrat Herbstius [1]).

Cavendum vero est, ne huc referamus hos locos, ad quos explicandos prorsus alia via est ineunda: I, 33: *ὡς ἂν μάλιστα — τὴν χάριν καταθήσεσθε* (quae Fritzschii conjectura nunc ab omnibus fere editoribus necessaria atque unice recta agnoscitur). Hoc loco omnium maxime Herbstii expositionem probo, qui, postquam Bekkeri conjecturam *καταθεῖσθε* improbavit, *ἂν* particulam ad relativam enuntiationem, quae incipit ab *ὡς*, ita ut elliptice sit expedienda, pertinere contendit. Nec dubito huc addere II, 80: *λέγοντες, ὅτι ῥᾳδίως ἂν Ἀκαρνανίαν σχόντες καὶ τῆς Ζακύνθου — κρατήσουσι*, ubi sensus docet, scriptorem hanc breviloquentiam adhibuisse: *ῥᾳδίως ἂν Ἀκαρνανίαν σχοῖεν καὶ ταύτην σχόντες καὶ — κρατήσουσι.*

Eandem dicendi rationem, quam supra in l. l. I, 140 amplexus est Noster, etiam in oratione obliqua observare possumus. Liceat igitur mihi notabilia exempla, quorum lectione codices mire consentiunt, illustrare. Velut II, 80: *νομίζοντες, εἰ πρώτην ταύτην* (sc. *Στράτον*) *λάβοιεν, ῥᾳδίως ἂν τἄλλα προσχωρήσειν* milites Cnemi haud prorsus persuasum habebant, Strato expugnata, cetera esse feliciter eventura, sed audientis esse scriptor significare vult, aliquid sua cogitatione addere. Eadem explicatio cadit in hos locos: V, 82: *νομίζων ἂν σφᾶς ὠφελήσειν*: — VI, 66: *ἔμελλον* —

1) Cf. l. c. pag. 13 sqq.

ἀνλυπήσειν. — VIII, 25: *νομίζοντες — ῥᾳδίως ἂν τἄλλα προςχωρήσειν.* — VIII, 71: *νομίζων — οὐκ ἂν ἡσυχάσειν.* Sed haec hactenus.

§. 5.

Redeat oratio, unde digressa est. Frequentes igitur in Thucydidis scriptis sunt loci, qui illi plerumque tritae regulae repugnare et infinitivum praesentis vel aoristi nudum de re futura exhibere videantur. Itaque quaerendum est, quid causae fuerit, cur scriptor in singulis exemplis illam permutationem admitteret.

Verba promittendi quidem, ut ab his ordiar, quorum notio jam ad rem futuram spectat, nonnisi cum infinitivo futuri conjuncta reperi. Conferas *ὑπισχνέομαι*: I, 123; II, 5; II, 29; III, 66; V, 37; VIII, 5; VIII, 81. — *πίστεις ποιεῖσθαι*: IV, 51. — *πίστιν δίδωμι*: V, 45.

Venimus ad verba jurandi et similia, quae scriptor, ubi verba sollemnis jurisjurandi formulae magis respicit ac referre vult, semper cum infinitivo futuri, ubi autem magis res, de quibus jusjurandum fiat, indicare vult, cum infinitivo praesentis (nempe de actione repetenda vel continuanda) copulasse videtur: hac igitur constructione non tempus futurum, sed sola actio significatur. Huc accedit, quod haec verba saepius in aliam propinquam notionem transierunt, ita ut derivata significatione proxime accedant ad verba voluntatis et potestatis eorumque constructionem sequantur. Absurdum autem esse, in hac constructione *ἄν* particulam excidisse opinari, vis verborum jurandi ipsa docet, cum is, qui jurat, confidenter polliceatur, se certe aliquid

exsecuturum esse, particula *ἄν* vero, cum optativo conjuncta, notionem verisimilitudinis complectatur. Majore autem jure, cum utraque constructio (inf. praesentis et futuri) in una eademque enuntiatione occurrat, aliquis anacoluthum statuat.

Illam explicationem confirmaturum praecipium exemplum proponendum est: VIII, 75: *ὥρκωσαν πάντας — τοὺς μεγίστους ὅρκους — ἦ μὴν δημοκρατήσεσθαί τε καὶ ὁμονοήσειν καὶ τὸν πόλεμον διοίσειν .... καὶ .... τοῖς τετρακοσίοις πολέμιοί τε ἔσεσθαι καὶ οὐδὲν ἐπικηρυκεύεσθαι*: hic invitis omnibus libris ad correctionem confugere inutile mihi esse videtur, immo vero ego non solum tolero, sed laudo praesens ut bene conjunctum cum futuris. Nam in promptu est, scriptorem hic de hac formula cogitasse, qua jurarunt milites: *δημοκρατησόμεθα — ὁμονοήσομεν — διοίσομεν — πολέμιοι ἐσόμεθα*, quae futura haud temere sequitur praesens: *ἐπικηρυκεύεσθαι*, quia, cum hujus verbi actio jam in proxime antecedentibus *πόλεμον διοίσειν* et *πολέμιοι ἔσεσθαι* per se contineatur, scriptor ad complendam, ut ita dicam, sententiam ex sua mente hoc addere voluit, ita ut constructione, quae verbis voluntatis est propria, uteretur, quasi dixisset: *καὶ οὐδὲν ἐπικηρυκεύεσθαι ἐβούλοντο.*

Paulo aliam explicationem postulat VI, 52: *λέγοντες σφίσι ὅρκια εἶναι — δέχεσθαι*, ubi vides id praevalere, quod jurejurando erat mandatum, non verba jurisjurandi ipsa. Itaque hic sensus oritur: se jurisjurandi religione esse obstrictos, ut reciperent.

Plane diversa esse videtur conditio hujus loci V, 38: *ἐδόκει ὀμόσαι ὅρκους ἀλλήλοις ἦ μὴν ἔν τε τῷ παρα-*

τυχόντι ἀμύνειν (quamquam hac lectione omnes codd. consentiunt, Bekkerus tamen sensu accurate non perspecto futuri formam praeferendam esse putavit) *καὶ μὴ πολεμήσειν τῳ μηδὲ ξυμβήσεσθαι*, ubi optimo jure infinitivus praesentis idcirco defendi potest, quia actionem exhibet, quae ad id tempus, quo erat jurandum, proxime se applicat, quoniam ea rerum conditio jamjam aderat, in qua praestandum erat auxilium: cetera autem, quae futuri infinitivi exprimunt, ad remotius tempus futurum pertinent. Itaque equidem servandam esse codicum lectionem censeo, ut quae unice sententiae accomodata sit: jusjurandum dare placuit, se et nunc et postea, quotiescunque res flagitaret, opem ferre velle neque unquam (postero tempore) cum quoquam bellum gesturos nec compositionem facturos esse.

Praeterea conferas IV, 75; VI, 73, ubi futurum legitur.

Eadem fere, quae supra dixi, valent de verbis paciscendi et similibus, quorum constructio apud nullum auctorem tam varia, quam apud Thucydidem, est. Ubi infinitivus futuri sequitur, ibi majore pondere esse notionem promittendi putandum est. Velut legati coram populo spondere jubentur, se conventis staturos esse IV, 118: *σπείσασθαι — ἦ μὴν ἐμμενεῖν*. Idem valet V, 65: *ξυνέθεντο — ἥξειν*.

Multo major vero est copia locorum, in quibus talia verba cum infinitivo praesentis vel aoristi conjunguntur, ut indicetur, quid faciendum pactio statuerit, ideoque per synesin perinde ac verba statuendi, quibus propinquam habent significationem, construuntur. Quare haud mirum, si infinitivus praesentis vel aoristi

hujuscemodi verbis annexus legitur, qua in re linguae Graecae libertas maxime cernitur. Quodsi germanice vertas „durch einen Vertrag sive Bündniss bestimmen, festsetzen,“ et sensui et constructioni optime satisfacias. Ea quidem, quae R. Schneiderus [1]) de ea re judicavit, minus in hujusmodi verba cadere videntur, quippe quae saepius accusativus cum infinitivo sequatur, id quod a verbis decernendi, quorum vi hanc structuram effici ille existimat, alienum esse liquet.

Haud opus sunt plura, sed sufficit, exempla ipsa explicationi illi, quam proposui, fidem consiliatura ante oculos ponere. Velut I, 44 de subsidiaria societate inter Athenienses et Corcyraeos facta haec legimus: *ἐπιμαχίαν ἐποιήσαντο, τῇ ἀλλήλων βοηθεῖν.* — Porro conferamus V, 18: *σπονδὰς ἐποιήσαντο — θύειν καὶ ἰέναι καὶ μαντεύεσθαι καὶ θεωρεῖν κτλ.* — V, 23: *καὶ ἐγένοντο ὅρκοι καὶ ξυμμαχία — ὠφελεῖν — εἶναι — καταλύειν κτλ.* — V, 48: *γενομένης ξυμμαχίας — πολεμεῖν καὶ εἰρήνην ἄγειν,* — VI, 79: *ἣν* (sc. *ξυμμαχίαν*) *ἐποιήσασθε — βοηθεῖν.*

ξυμβαίνειν eodem sensu adhibitum invenies: I, 103: *ξυνέβησαν, ἐάν τις ἁλίσκηται, εἶναι δοῦλον*; cf. I, 117: *ὑπήκοοι εἶναι*; II, 4: *παραδοῦναι*; II, 70: *ἐξελθεῖν*; IV, 54: *ἐπιτρέψαι*; IV, 66: *ἑλεῖν — πειρᾶσθαι*; IV, 69: *ἀπολυθῆναι — χρῆσθαι*; VIII, 28: *λαβεῖν*; VIII, 91: *ἔχειν.*

Eandem constructionem sequitur *σπένδεσθαι*: III, 109: *ἀποχωρεῖν.* IV, 114: *ἀναλέσθαι*; VII, 83: *πέμψαι.*

---

1) Cf. l. c. pag. 34.

Denique συντίθεσθαι ita constructum legimus IV, 68: ξυνέκειτο αὐτοῖς ἐςπίπτειν. — VIII, 55: κρατεῖν.

Superest, ut nonnullos locos addam, in quibus ὥστε adjectum est, quo infinitivi sententia, laxiore sane vinculo adjuncta magis libera, ut ita dicam, reddatur; cf. I, 29: ὁμολογίᾳ, ὥστε ἀποδόσθαι, i. e. ea conditione, ut. — III, 28: ὁμολογίαν ποιοῦνται, ὥστε ἐξεῖναι. — III, 114: ξυμμαχίαν ἐποιήσαντο, ὥστε μήτε — στρατεύειν — βοηθεῖν δὲ — καὶ ἀποδοῦναι — μὴ βοηθεῖν. — IV, 46: ξυνέβησαν, ὥστε παραδοῦναι — διαγνῶναι. — IV, 65: ξυνηνέχθησαν — ὥστε ἀπαλλάσσεσθαι — εἶναι. — V, 27: ξυμμαχίαν ποιεῖσθαι, ὥςτε — ἐπιμαχεῖν, ἀποδεῖξαι δὲ — εἶναι.

Quam varius sit Thucydidis illorum verborum usus ut intelligatur, in fine hujus §. breviter in transitu attingere haud a re alienum puto interdum etiam ἐφ᾿ ᾧτε cum indicativo futuri conjunctum (cf. I, 103; I, 113) et participium aoristi sequi, quod vim suam retinet, ita ut scriptor significare velit, foedus tum demum factum esse, postquam conditionibus, quas constructio participialis continet, esset satisfactum. Cf. I, 101; I, 108; I, 115; I, 117 [1]).

§. 6.

Pergimus ad verba sperandi, quae suapte natura ad rem futuram spectant ideoque cum infinitivo futuri aut infinitivo praesentis sive aoristi cum ἄν particula conjuncto frequentissime construi negare non possumus.

1) Cf. Krueger. ad I, 108; Classen. ad I, 101; Madvig. l. c. pag. 46. 47.

Et ista quidem, quoniam nimis vulgaria essent, non putavi exemplis confirmanda esse, quae fere ubivis occurrunt. Nihilominus haud raro accidit, ut nudus infinitivus praesentis vel aoristi illius modi verba sequatur, ut nimia audacia esse videatur, rem corrigendo expedire. Quare aliam viam ingrediamur, ut hunc dicendi morem e sententia et connexu explicemus.

Hoc loco haud praetermittendae sunt aliorum de hac re sententiae. Herbstius [1]) quidem judicium suum de hac re mutasse videtur; nam novam regulam proponere audet, scriptorem ibi aoristum adhibuisse, ubi idem subjectum esset infinitivi et verbi infinitivum finientis. Sed vereor, ut illa explicatione omnibus locis satisfecerit ideoque Thucydides illam legem ubique observaverit. Plures enim loci exstant, ubi, etiam alio subjecto in casu accusativi apposito, infinitivi praesentis vel aoristi post illa verba locum esse apparet. Conferas III, 3; IV, 21; IV, 28; V, 9; VII, 33.

Tum audiendus est Madvigius [2]), quem sequitur R. Schneiderus [3]). Ille enim, vir doctissimus, rectissime Kruegeri [4]) de infinitivi aoristi usu judicium admiratur. Nam ex omnibus, quae is hac de re disseruit, conjici potest, eum putare, ἄν particulam apud hujusmodi aoristi infinitivum idcirco omitti, ut fiducia rei futurae indicetur; sed id esse temporis futuri ipsius officium, jam supra monuisse mihi videor. Porro Madvigius contendit, in illius modi locis verbum ἐλπίζειν eadem

1) Cf. über αν beim futur. im Thuc. pag. 16.

2) Cf. l. c. pag. 29 et 42.

3) Cf. l. c. pag. 34.

4) Cf. Gr. gr. §. 53. 6. 9.

notione, qua *βούλομαι* s. *εὔχομαι* usurpari. Id certe nemo negare potest, notionem optandi in verbo *ἐλπίζειν* inesse, cum is, qui aliquid se facturum vel eventurum sperat, hoc etiam se velle animo complectatur: itaque in hac quoque structura Voemelii judicium improbari non potest.

Illa quidem explicatione omnes fere grammatici [1]) consentiunt, sed eos latuisse id videtur, quod etiam infinitivus praesentis post talia verba legitur. Meum igitur est, breviter hujusmodi exempla, quae apud auctorem nostrum inveniuntur, attingere et, si res postulabit, illustrare. Huc pertinent duo loci, ubi infinitivi praesentis et aoristi bene conjuncti occurrunt: IV, 21: *ἤλπιζον — χειρώσασθαι καὶ ἤδη σφῶν ἰσχυρὰ τὰ πράγματα γίγνεσθαι* et VI, 87: *διὰ τὸ ἑτοίμην ὑπεῖναι ἐλπίδα τῷ μὲν ἀντιτυχεῖν — τῷ δὲ — μὴ ἀδεεῖς εἶναι κινδυνεύειν.*

Ab hac interpretatione vero secernendi sunt hi loci, in quibus praesentis infinitivum prorsus alius naturae esse videbimus. Seriem collatorum exemplorum incipiat IV, 13: *ἐλπίζοντες, τὸ τεῖχος ὕψος μὲν ἔχειν, ἀποβάσεως δὲ μάλιστα οὔσης ἑλεῖν*, ubi quidem infinitivus praesentis *ἔχειν* a notione putandi ex *ἐλπίζοντες* elicienda pendere facile intelligitur, quare Ulrichii [2]) conjectura *ἔχον* supervacanea esse videtur. Haud aliter judicandum est de h. l. II, 84: *ἤλπιζε γὰρ αὐτῶν οὐ μενεῖν τὴν τάξιν -- καὶ τὰ πλοῖα ταραχὴν παρέχειν*

---

1) Cf. Madv. l. c. pag. 42. 43. — Lobeckius ad Phrynichum. pag. 752. — R. Schneiderus l. c. pag. 34.

2) Cf. Krit. Beitr. 1. 25.

(quod optimi codices dant, Kruegerus re parum intellecta *παρέξειν* restituendum putat)· In argumentum igitur hujus loci insinuemus. Navigia enim minora in medium circulum recepta jamjam impedimento erant [1]) neque ideo oportebat praesentis infinitivum in dubium vocari, ut ab interpretibus factum est, sed pendens e notione putandi prorsus legitimus esse videtur. Item explico IV, 9: *ἐλπίζοντές ποτε ναυσὶ κρατηθήσεσθαι οὐκ ἰσχυρὸν ἐτείχιζον, ἐκείνοις τε βιαζομένοις τὴν ἀπόβασιν ἁλώσιμον τὸ χωρίον γίγνεσθαι*; apodosi (*οὐκ ἰσχυρὸν ἐτείχιζον*) praecedente et sententia addicente hic scriptorem verbum putandi ante oculos habuisse apparet. Persuasum igitur habeo, Thucydidem in exemplis paulo ante allatis legitimum usum praesentis temporis esse secutum.

Transeamus ad aoristi infinitivum, qui post verba sperandi et si quae locutiones idem valent interdum legitur. Unicuique autem illam observationem ad aoristi indicativi vim et usum non revocandam esse manifestum erit, sed illa dicendi consuetudo nasci videtur ex eo, quod Graeci nonunquam, ut jam supra monui, in illis verbis vim vicinam incluserunt, quae effecit, ut adaliam constructionem deducerentur. Perlustra igitur mihi copiam exemplorum, quae congessi, nec quidquam offensionis reperies: IV, 13: *ἐλπίζοντες — τὸ τεῖχος ἑλεῖν.* — IV, 24: *τὸ Ῥήγιον ἤλπιζον — ῥᾳδίως χειρώσασθαι.* — IV, 80: *ἤλπιζον ἀποτρέψαι.* — VII, 21: *ἐλπίζειν — ἔργον ἄξιον τοῦ κινδύνου κατερ-*

1) Eodem sensu (= hinderlich sein) *ταραχὴν παρέχειν* usurpatum invenies VIII, 42.

γάσασθαι. — Hanc structuram latius patere elucet ex his locis: II, 56: *ἐς ἐλπίδα μὲν ἦλθον τοῦ ἑλεῖν.* — II, 80: *ἐλπίδα δ' εἶναι καὶ Ναυπάκτιον λαβεῖν.* — III, 3: *ἐλπίδα εἶναι, ἐπειχθέντας ἐπιπεσεῖν ἄφνω.* — IV, 70: *λέγων ἐν ἐλπίδι εἶναι, ἀναλαβεῖν Νίσαιον.* — V, 9: *ἐλπὶς γὰρ μάλιστα αὐτοὺς οὕτω φοβηθῆναι.* — VII, 33: *ἡμῖν ἀνέλπιστον τὸ τοιοῦτον συμβῆναι.*

Non sine ratione in priore membro scriptor posuit infinitivum futuri et transit deinde ad infinitivum aoristi, qui spectat ad rem magis desideratam: IV, 24: *ὁ δὲ ὅμιλος καὶ στρατιώτης* (nempe *εὐέλπιδες ὄντες*, quod repetendum erat) *ἀργύριον οἴσειν καὶ προςκτήσασθαι δύναμιν.* Incerti quidem adhuc haerent editores, utrum ita an *προςκτήσεσθαι* legant, cum utrumque libris nitatur, ego tamen eo inclino, ut *προςκτήσασθαι* praeferam, cum et pluribus codicibus firmetur nec sententia respuatur.

Addi potest IV, 28: *λογιζόμενος δυοῖν ἀγαθοῖν τοῦ ἑτέρου τεύξεσθαι, ἢ Κλέωνος ἀπαλλαγήσεσθαι, ὃ μᾶλλον ἤλπιζον ἢ* — (scil. *τὸν Κλέωνα*) *Λακεδαιμονίοις σφίσι χειρώσασθαι.* Quae vero ad hunc locum Madvigius [1]) monuit, tantum absunt, ut mihi prorsus persuadeant, hic *χειρώσεσθαι* esse scribendum, ut magnopere admirer hanc variationem scriptori nostro propriam. Itaque lector eorum, quae supra (§. 3) de illa re dixi, memor sit velim.

§. 7.

Atque *εἰκὸς* nusquam, ubi indicetur, verisimiliter actionem aliquam esse eventuram, cum infinitivo futuri

1) Cf. l. c. pag. 40. Adn. 30.

apud Thucydidem construitur, sed, duobus locis exceptis, quos infra commemorabo, semper cum aoristi infinitivo. Qui dicendi usus in eo positus esse videtur, quod illa locutio significat, de re perficienda omnino cogitari posse, ita ut actio sola significetur. Nemini autem in mentem veniet, librariorum negligentia ἄν particulam excidisse contendere, quippe cujus vim εἰκὸς ipsum jam complectatur. Qua in re, cum ab aliis jam sit tractata, non est, cur longius versemur, sed superest, ut exempla collecta brevibus verbis adscribamus. I, 81: δουλεῦσαι — καταπλαγῆναι. — I, 127: ἐπικρατῆσαι. — II, 11: δρᾶσαι. — II, 73: κομισθῆναι. — III, 10: καταστρέψασθαι. — III, 40: ποιῆσαι. — IV, 60: πειράσασθαι. — IV, 85: ἀποστεῖλαι. — V, 109: περαιωθῆναι. — VI, 11: στρατεῦσαι; ibidem: καθαιρεθῆναι. — VI, 36: ἐλθεῖν. — VI, 49: ἀποληφθῆναι. — VII, 87: κακοπαθῆσαι. — VIII, 46: ἐλευθερῶσαι. —

Denique addam hos locos, qui omnium, quantum scio, adhuc grammaticorum diligentiam effugerunt, ubi manens conditio praesentis infinitivum expostulat: III, 13: οὐκ εἰκὸς, αὐτοὺς περιουσίαν νεῶν ἔχειν. IV, 20: τὰ ἐνόντα ἀγαθὰ σκοπεῖτε, ὅσα εἰκὸς εἶναι, ubi recte Schol. adnotat: ἀντὶ τοῦ συμβήσεσθαι, quam explicationem satis confirmat τιμήσει, quod futurum mox sequitur.

§. 8.

Progrediamur ad verba putandi discendique, quibus Madvigius [1]), Cobetus [2]), R. Schneiderus [3]) aliique prae-

1) Cf. l. c. pag. 36 sqq.
2) Cf. l. c. pag. 97 sqq.
3) Cf. l. c. pag. 35. 36.

sentis vel aoristi infinitivum nudum, ubi de re futura sermo sit, adjungere vetant; sed illorum virororum corrigendi nimiam audaciam jam supra satis refellisse ac redarguisse mihi videor.

Alii vero viri docti, qui cum scriptorem consulto modo hanc modo illam dicendi rationem amplexum esse consentiant codicum optimorum lectionibus servandis ac defendeudis operam dant, hanc rem exponentes in diversa abeunt. Herbstium [1]) quidem explicatione sua, quam ad refutandum Cobetum protulit, non multum profecisse jam supra demonstravi, neque interpretes, qui ad manum mihi fuerunt, huic rei explanandae satis magnam operam navaverunt. Id quidem, ut hoc commemorem, mirum videtur, quod plerique nullam mentionem fecerunt de praesentis infinitivo, ac si huic nullus in hac structura esset locus. Lobeckius [2]) vero interpretatione sua, ut ingenue fatear, mihi persuadere non potuit, ut ad ejus sententiam accedendum esse putarem. Quae enim judicat de verbis dicendi, procul quaesita esse videntur, verbis putandi vero alienam notionem, infinitivum praesentis vel aoristi desiderantem, attribuere ipse dubitat atque confugit ad ellipsin.

Equidem facere non possum, quin Voemelii [3]) auctoritatem in ista quoque quaestione sequar. Nam sic omnino judicandum puto, nihil in illius viri explicatione novi esse aut obscuri, sed summam simplici-

1) Cf. l. c. pag. 15. 16.
2) Cf. l. c. pag. 749 sqq.
3) Cf. l. c. pag. XVIII.

tatem. Quam rem paucis absolvere licet. Ubi igitur actio sola praevalet ita, ut temporis futuri ratio non habeatur idque nullius sit momenti, ibi sine ulla cunctatione scriptor praesentis vel aoristi infinitivum posuisse videtur. Nec vero Graeci sermonis finibus hic dicendi usus continetur, sed et nos et Latini sine perspicuitatis damno illam temporum permutationem admittunt. Cujus rei demonstrandae causa hic unum exemplum ex Ter. Phormione III, 2. 47, depromptum afferam: cras mane argentum mihi miles se dare dixit. His praemissis opportunum et tempestivum esse puto, ut ad exempla ipsa, quae ex nostro auctore congessi, vertamur.

Sic verbis putandi hisce locis praesentis infinitivum annexum legimus: I, 82: *μὴ γὰρ ἄλλο τι νομίσητε τὴν γῆν αὐτῶν ἢ ὅμηρον ἔχειν*; etsi hic de futura possessione agitur, tamen hic praesens tempus usurpat Archidamus — is enim loquitur — cum non tam tempus, quo Lacedaemonii Atheniensium terra sint potituri, quam actionem solam respiciat.

Ad eandem legem sunt judicanda: II, 84: *καὶ τὴν ἐπιχείρησιν — ἐνόμιζεν — καὶ τότε καλλίστην γίγνεσθαι*, ubi Kruegerus nimis audacter *κάλλιστ᾽ ἂν* suspicatur, et IV, 127: *νομίσαντες — φεύγειν αὐτὸν καὶ καταλαβόντες διαφθείρειν*.

Eundem in modum *δοκεῖν* construitur III, 95: *οἳ ἐδόκουν κατὰ τὴν Ἀθηναίων ἀεί ποτε φιλίαν ξυστρατεύειν*, ubi Reiskius, qui vir corrigendi plus aequo studiosus esse videtur, *ξυστρατεύσειν* maluit; ibidem: *μεγάλη ὠφελία ἐδόκουν εἶναι*: „magno usui fore videbantur“, qui locus idcirco maxime insignis est, quod

et correctionem respuere videtur et omnes adhuc criticos effugit.

Porro verba dicendi nusquam cum praesentis infinitivo sociata reperiuntur: id quod non est cur offendat.

Distinguenda vero ab illusmodi exemplis sunt illa, quae, a plerisque interpretibus male intellecta, si accurate examinaveris aliter explicanda esse perfacile cognosces. Conferamus I, 93: *νομίζων, αὐτοὺς ναυτικοὺς γεγενημένους μέγα προφέρειν*, ubi immerito Classenius infinitivum praesentis pro futuro esse adhibitum putat. Quare connexum rerum consideremus. Praeterea enim, quod verba, quae sequuntur: *τῆς γὰρ θαλάσσης πρῶτος* (nempe *Θεμιστοκλῆς*) *ἐτόλμησεν εἰπεῖν, ὡς ἀνθεκτέα ἐστι καὶ τὴν ἀρχὴν εὐθὺς ξυγκατεσκεύαζεν* satis docent, Athenienses illo tempore, quo Piraeum munire coeperunt, rebus navalibus jam operam dedisse, rerum historia tradit, jam ante pugnam Salaminiam auctore Themistocle illos naves conscendisse. Itaque praesens nulli offensioni est locumque Kruegero suadente germanice sic reddas: dass sie selbst dadurch, dass sie ein Seevolk geworden, in Bezug auf Erwerbung von Macht grossen Vorzug hätten. — Nec valde discrepat I, 107: *νομίζοντες, ἐκ πεσόντος αὐτοῦ, ῥᾷον σφίσι προχωρεῖν τὰ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων*, ubi praesens idcirco munitum est, quod Lacedaemonii cum Atheniensibus agere jam coeperant [1]) nec particula *ἄν* adjici debet, quod e verbis antecedentibus *ἐλαύνειν*

1) Quae interpretatio confirmatur h. l. II, 8: *προειπόντων ὅτι τὴν Ἑλλάδα ἐλευθεροῦσιν.* — Cf. Krueg. ad. h. l.

ἐκέλευον elucet, rem ipsam jam ad effectum adductam esse Lacedaemoniis visam. — Idem apparet IV, 27: *ὅτι ἔχοντάς τι ἰσχυρὸν αὐτοὺς ἐνόμιζον οὐκέτι σφίσι ἐπικηρυκεύεσθαι*: etiam in oratione recta auctorem scribere *ὅτι — οὐκέτι ἐπικηρυκεύονται* debuisse sensus docet. Denique aliud exemplum haud dissimile adjicere placet VII, 56: *νομίζοντες — τοὺς γὰρ ἄλλους Ἕλληνας εὐθὺς τοὺς μὲν ἐλευθεροῦσθαι, τοὺς δὲ φόβου ἀπολύεσθαι,* ubi praesentia significant, actiones illas continuo incipere. Cf. Kruegerum ad h. l. In his igitur exemplis praesentis infinitivum plane suo loco esse positum unicuique erit manifestum.

Restat, ut eos locos proferam, in quibus eodem jure, quo supra praesens, aoristi infinitivus post verba dicendi putandique usurpatur. Conferamus I, 26: *προεῖπον — ὡς πολεμίοις χρήσασθαι*, quod plurimi codices praebent, sed omnes fere editiones malunt *χρήσεσθαι*. — IV, 28: *ἔφη, ἢ ἄξειν — ἢ ἀποκτεῖναι*: sic enim uno bono libro nixus scribendum censeo pro aliorum codicum lectione *ἀποκτείνειν*, quam perferendam non esse facile intelliges; Kruegerus correxit *ἀποκτενεῖν*. — V, 22: *οὐκ ἔφασαν δέξασθαι.*

Eademque ratione sunt intelligendi hi loci, ubi verba putandi itidem constructa occurrunt: II, 3: *ἐνόμισαν, κρατῆσαι.* — III, 46: *τίνα οἴεσθε, ἥντινα — παρασκευάσασθαι* (sic optimi libri, Classenius aliique inconstanter *ἂν* addunt) — *παρατενεῖσθαι.* — IV, 21: *δέξασθαι — ἀποδώσειν,* quod futurum plerosque editores movit, ut conjicerent *δέξεσθαι*: immerito, cum scriptor etiam multis aliis locis talem variationem non reformidaret. — IV, 36: *δοκεῖν βιάσασθαι ἔφοδον.* —

V, 36: *οὕτω γὰρ ἥκιστα ἀναγκασθῆναι*, qui inf. a verbo putandi, quod mente subaudiendum est, pendet. Poppo et Elsmeleyus h. l. inserunt *ἄν*; video quidem, quam facilis sit suspicio, librarii errore *ἄν* particulam hic ante *ἀναγκασθῆναι* excidisse, sed offendit, quod ne in uno quidem libro illa invenitur. — VI, 24: *νομίζων*, — *ἢ ἀποτρέψειν ἢ* — *μάλιστα οὕτως ἀσφαλῶς ἐκπλεῦσαι*, ubi vel Popponi hanc futuri et aoristi conjunctionem duriorem esse visam ideoque eum denique *ἄν* adjecisse Madvigius [1]) commemorat, quamquam ille alibi [2]) hoc exemplum prorsus certis locis adjunxit et ipse fatetur, in infinitivo conjunctionem illam valde usitatam esse.

Sunt denique nonnulli loci, quos hunc in ordinem referre dubito. Sic I, 72, ubi boni codices suppeditant *μᾶλλον ἄν*. — III, 24: *ὑποτοπῆσαι*, qui locus facillimam habet explicationem, modo recte interpreteris aoristum, cujus vim germanice sic reddendam esse censeo: sie wären auf die Vermutung gekommen [3]). — IV, 120, ad quem locum recte quidem Madvigius monet, sensum nos cogere, futurum *τρέψεσθαι* alteri lectioni *τρέψασθαι* praeferre, cum non sententia sit „in die Flucht schlagen", sed „sich wenden"; minime vero hoc uno loco, ubi lectio non est constans, evincitur, aliis etiam locis aoristi infinitivos esse falsos. — Postremum locum obtineat VIII, 66: *ἐνῆσαν γὰρ καὶ οὓς οὐκ ἄν*

1) Cf. l. c. pag. 40. adn. 30.

2) Cf. Prolegg. pag. 274. infra. et p. 275.

3) Eandem vim obtinet participium *ἡγησάμενοι*, quod V, 1 legitur. In quibusdam enim verbis, quae animi statum vel motum indicant, nos permansionem et perseverantiam, Graeci saepius initium actionis respiciunt.

ποτέ τις ᾤετο ἐς ὀλιγαρχίαν τραπέσθαι, quem locum frustra a Drobreeo tentatum puto; nam cum *ἂν* particula, quae referenda est ad *ᾤετο*, jam praecedat, haud male quisquam scriptorem illam infinitivo *τραπέσθαι*, quippe quae repetita abhorreret ab aurium approbatione, addere dubitasse et subaudiri maluisse judicet.

§. 9.

Denique mihi agendum videtur de constructione verborum augurandi vaticinandique, quae, quamquam eorum vis ac notio ad rem futuram pertinet, tamen et praesentis et aoristi infinitivum sibi adjungi patiuntur. Hic particulam *ἂν* addere ineptum esse facile cognosces. Nunc duplicem viam explicandi insiti et alterutram eligi debere demonstrabo.

Ac priore quidem illa explicatione haud male illum dicendi morem ad indicativam orationem revoces. Quod quemadmodum fiat nunc videbimus. Incipiamus igitur a praesentis tempore, quod etiam in oratione indicativa is, qui auguratur, de re futura adhibet. Ita enim idem significare vult, se signa, et quibus veteres res futuras conjecisse constat, ideoque rem futuram ipsam quoque jam ante oculos habere. Quo fit, ut sententia summa fiducia exprimatur. Ad hunc dicendi usum confirmandum nonnulla exempla ex aliis scriptoribus hic proferre haud inutile esse videtur. Ex hoc genere sunt: Herod. VII, 140: *μένει — λείπεται-πέλει* et Pind. Ol. VIII, 55: *Πέργαμος — ἁλίσκεται* et id. Pyth. IV, 86, ubi vel certum futuri tempus indicatur: *τότε γὰρ μεγάλας ἐξανίστανται Λακεδαίμο-*

νος. — Eandem regulam in oratione obliqua observari est manifestum. Exempla hujusmodi autem, quae in Thucydide reperi, potius alteri, de qua infra exponam, interpretandi rationi respondere hic praemonendum puto. — Nec minus vero aoristi tempus usurpare licuit. Augures enim cum ex notis signis deorum voluntatem conjicerent, ea, quae erant eventura, jam viderant itaque narrantes aoristi tempore summo jure uti poterant. Velut Agamemnon in Il. IV, v. 160, quasi augurans haec praedicit:

εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ᾽ Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν
ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν.

Accedit Il. IV, v. 412, ubi Achilles de duplice fato, quod sibi eventurum Thetis mater praedixerit, loquitur:

εἰ μὲν κ᾽ αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,
ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται. —

Eandem autem expositionem etiam in oratione obliqua valere, ut intelligatur, laudo hunc locum III, 96: *χρησθὲν αὐτῷ ἐν Νεμέᾳ παθεῖν.*

Altero loco, ubi de alio, ut mox videbis, exemplorum genere erit dicendum, a me impetrare non possum, ut explicationem a Madvigio [1]) prolatam, qui constructionem illam admitti existimavit, quod vel notio futuri temporis in verbis augurandi ipsis jam sita esset vel, id quod praestare videtur, propter significationem verbis jubendi propinquam, improbem. Quod ut contendam valde adducor his locis, ubi illam vim illiusmodi verbis inesse ideoque interpretationem, quam modo attigi non tam praeferendam quam ut unice

1) Cf. l. c. pag. 44.

veram accipiendam esse, nemo, qui diligenter in sententiam inquisiverit, negare poterit: I, 25: *ὁ δὲ* (nempe *θεὸς*) *αὐτοῖς ἀνεῖλε, παραδοῦναι καὶ ἡγεμόνας ποιεῖσθαι.* — I, 126: *χρωμένῳ δὲ Κύλωνι ἀνεῖλεν ὁ θεὸς — καταλαβεῖν τὴν Ἀκρόπολιν.* — I, 134: *ὁ δὲ θεὸς τὸν τάφον ὕστερον ἔχρησε μετενεγκεῖν.* — II, 102: *τὸν Ἀπόλλω ταύτην τὴν γῆν χρῆσαι οἰκεῖν.* — V, 16: *τὴν γὰρ πρόμαντιν ἐπητιῶντο αὐτὸν πεῖσαι — ὥστε χρῆσαι Λακεδαιμονίοις ἀναφέρειν.*

II.

§. 1.

Ut priore parte hujus libelli, quomodo infinitivus praesentis vel aoristi pro futuro saepius usurpetur, ita nunc, qui sit usus infinitivi futuri loco praesentis vel aoristi positi, docere mihi proposui. Ac primum quidem non est, cur offendat, quod infinitivus futuri interdum pro praesenti vel aoristo adhibetur, ubi de conatu sermo est. Hanc interpretationem postulant hi loci: III, 66: *τὰ μὲν ὁμοῖα οὐκ ἀνταπέδοτε ἡμῖν μήτε νεωτερίσαι ἔργῳ, λόγοις τε πείσειν,* quod malim fide omnium, uno, Lugdunensi [1]), excepto, qui *πεῖσαι* dat, codicum ac

---

1) De ejus auctoritate Poppo ipse satis accurate judicare dubitat (cf. p. II, vol. I. pag. 52 et 62) eumque mediocribus accensere videtur.

sententia addicente („parem gratiam nobis non retulistis, ut nec factis quidquam innovaretis et verbis nobis persuadere conaremini“), nec satis causae, cur Classenius mutaverit *πείθειν* vel Poppo [1]) praetulerit *πεῖσαι*, esse video. Eadem ratione intelligendum est IV, 126: *τοῦ τε ἐς χεῖρας ἐλθεῖν πιστότερον τὸ ἐκφοβήσειν* (quae lectio in omnibus libris reperitur) — *ἡγοῦνται*: tutius autem existimant, nos terrefacere conari quam nobiscum ad manus venire. Ita enim constiterit futuro vis sua.

Altero loco de iis verbis, quae plerumque secundum loquendi consuetudinem cum infinitivo futuri non conjunguntur, apud Thucydidem autem haud raro hanc structuram admittunt, erit disserendum. Dico enim verba voluntatis, potestatis similique notione, quae sunt ea indole, ut iis praesentis vel aoristi infinitivus annecti soleat; hanc legem in unaquaque lingua observari nemo negabit. Quaerendum igitur est, quid fuerit causae, cur ab illo dicendi more Graeci nonnunquam recessissent.

Hermanni [2]) vero, qui Graecis usitatum esse dicit, ubi in principali verbo futuri significatio insit, etiam infinitivum futuri adjungere, explicatio idcirco hic minus mihi probatur, quod non omnia exempla, quae

1) Cf. Observv. crit. in Thuc. pag. 153. Omnino illic de futuri infinitivi usu, ubi infinitivum praesentis sive aoristi exspectes, mea quidem sententia parum accurate ac recte judicavit.

2) Cf. Opuscula pag. 281: de praeceptis quibusdam Atticistarum. c. III.

mox in conspectu ponam, illuc referri possunt [1]); nec Poppo [2]) quidquam observatione dignum protulit.

Equidem illam rem explanans sequor Lobeckium [3]). Quodsi is, qui loquitur vel de quo agitur, non tam actionem solam — id quod post talia verba praesentis vel aoristi infinitivum exprimere apparet — quam tempus respicit et rem nondum coeptam sed futuro tempore eventuram significare vult, haud inconcinne ad id exprimendum infinitivum futuri adjungere videtur.

Sic legimus III, 28: *οὔτ᾽ ἀποκωλύσειν δυνατοὶ ὄντες*: cum arguto ad rem futuram respectu. Ex eodem genere est VII, 11: *δυναίμεθ᾽ ἂν χρήσεσθαι*, quae scriptura confirmata est omnium bonorum codicum auctoritate.

Qua in structura haud raro verba, equibus futuri infinitivus est aptus, in aliam notionem futurum tempus non respuentem vel etiam postulantem abierunt. Sic verba voluntatis vim exspectandi sive praevidendi accipere possunt. Huc pertinent verba VI, 57: *ἐβούλοντο — προτιμωρήσεσθαι* (sic optimi libri): „credebant, sperabant, se ulturos esse“ idem valet ac „volebant ulcisci“. Sic enim et Cicero saepe in epistolis: arbitror, me cras — profecturum, i. e. volo, decrevi proficisci.

Eandem interpretationem patiuntur: VI, 101: *βουλόμενος ἀποκλήσεσθαι* (sic omnes libri, Augustano ex-

1) Cf. Poppo: Proleg. pag. 159, ubi de Hermanni regula ita judicat, ut duo tantum exempla (II. 29 et V. 35) illo usu excusari posse dicat.

2) Cf. Proleg. pag. 159 et Observv. crit. pag. 153.

3) Cf. l. c. pag. 747 et 748.

cepto); IV, 52: ἦν αὐτῶν διάνοια — ἐλευθεροῦν καὶ κακώσειν. — IV, 115: ἐνήσειν διενοοῦντο. — IV, 121: τόν τε πόλεμον διενοοῦντο προθύμως οἴσειν. — VII, 56: τὸν λιμένα διενοοῦντο κλήσειν. — VIII, 55: διενοοῦντο βοηθήσειν. — VIII, 74: διενοοῦντο εἴρξειν. — VI, 6: ἐφιέμενοι ἄρξειν, — VIII, 2: ξυμπροθυμηθέντες — ἀπαλλάξεσθαι.

Eidem fere generi adnumerandi esse videntur hi loci: I, 27: ἐδεήθησαν — ξυμπροπέμψειν, ubi notio sperandi majore est pondere. — II, 29: πείσειν γὰρ Σιτάλκην πέμψειν: Nymphodorus enim, qui paulo ante promiserat, se bellum, quod tunc in Thracia gerebatur, esse sedaturum, significare vult, se confidere, opera sua Sitalcen exercitum missurum esse. Sic etiam post praesens ex eodem verbo futuri infinitivus pendet: IV, 27: γνοὺς, ὅτι ἀναγκασθήσεται, ἢ ταὐτὰ λέγειν — ἢ τἀναντία εἰπὼν ψευδὴς φανήσεσθαι, ubi quidem φαίνεσθαι perinde ex ἀναγκασθήσεται aptum ac λέγειν exspectaveris, sed si mente substitues νομίζων s. ἐλπίζων, nihil erit, quod offendaris. Haud dissimile est V, 35: πειράσεσθαι — ἐξαγαγεῖν — ἀπολαβεῖν καὶ κομιεῖν: postremo loco notio sperandi per sensum subauditur. Quae exempla in numero anacoluthorum haberi possunt, cum scriptor in iis ab ea construction, quae plerumque adhiberi solet, recedat neque id sequatur, quod ex inchoata constructione sequi debebat. — Similiter explicandum videtur VI, 61: τοὺς ὁμήρους οἱ Ἀθηναῖοι τότε παρέδοσαν τῷ Ἀργείων δήμῳ διὰ ταῦτα διαχρήσεσθαι [1]). Kruegerus optimis libris neglectis διαχρή-

1) Ita legunt codd. Cassel., Aug., Bas.; ed. Ald., Flor., ceteri libri ασθαι.

σασθαι scribendum putat, sed vulgata lectio bene defendi potest: nam hic sensus subest: tradiderunt obsides, spe ducti, Argivorum populum eos his de causis esse interfecturum. Denique offendere non potest VII, 21: τοῦ ταῖς ναυσὶ μὴ ἀθυμεῖν ἐπιχειρήσειν πρὸς τοὺς Ἀθηναίους; nam hujus loci sententia haec est: ne desperarent, se navibus quidquam contra Athenienses esse tentaturos, i. e. tentare posse.

§. 2.

Postremo loco hujus dissertationis de constructione verbi *μέλλειν*, quae tam varia est, seorsum agere in animo est. Noli vero exspectare, me mova de illius verbi usu praecepta prolaturum esse, cum hoc unum mihi proposuerim, quam diligentissime quaerere, quatenus Thucydides leges a grammaticis propositas observaverit aut neglexerit. Verbum *μέλλω* igitur infinitivo annexum vice fungi Latini futuri periphrastici, quod dicunt, et actionem instantem exprimere est vulgaris opinio. Cum illius verbi originariam significationem vim durandi continere appareat, ratio postulat, ut cum praesentis infinitivo copuletur; quomodo autem sit factum, ut infinitivus futuri adderetur, quidque inter hunc et illum discriminis sit, grammatici dissentiunt. Kruegerus [1]) quidem certos fines terminosque constituere perdifficile esse putat, mea autem conjectura infinitivus futuri idcirco adjungi videtur, ut actio instans acrius, ut ita dicam, exprimatur. Infinitivum aoristi vero veteres grammatici et in his Phrynichus

1) Cf. gr. gr. §. 53. 8, 3.

et Thomas Magister sine barbarismo addi posse negant, quorum errorem refellerunt Hermannus [1]) et Lobeckius [2]). Nunc restat, ut demonstrem, qua ratione in illo verbo construendo Thucydides sit versatus.

Conjunctionem infinitivi praesentis in his locis observavi: I, 45: *ἀποβαίνειν*. I, 68. *βλάπτεσθαι*. I, 86. *τιμωρεῖν* [3]); ibid. *πάσχειν* [3]); ibid. *ἀδικεῖν*. I, 124. *ποιεῖσθαι* [3]). I, 134. *ἀποψύχειν*; ibid. *ἐμβάλλειν*. II, 7. *πέμπειν*. II, 16. *μεταβάλλειν*. II, 75. *ἀνύτειν*, II, 81. *ἐκπλεῖν*. III, 80. *πλεῖν*. III, 82. *δρᾷν*. IV, 4. *ἐπιμένειν*. IV, 9. *προςβάλλειν*. IV, 52. *παρασκευάζεσθαι*. IV, 67. *γίγνεσθαι*. IV, 75. *κατασκευάζεσθαι*. IV, 77. *στρατεύειν*. IV, 92. *φθείρειν*. IV, 94. *ξυνιέναι*. IV, 116. *προςβάλλειν*. IV, 125. *ἐπιέναι*. V, 9. *μάχεσθαι*. V, 69. *ξυνιέναι*. V, 116. *στρατεύειν*. VI, 10. *ἀμύνεσθαι* [3]). VI, 20. *ἰέναι*. VI, 21. *πλεῖν*. VI, 96. *ἰέναι*. VII, 2. *ἐκκλησιάζειν*. VII, 4. *φρουρεῖν*. VII, 31. *περαιοῦσθαι*; ibid. *ναυμαχεῖν*. VII, 49. *ἐξανίστασθαι* [3]). VII, 50. *ἀποπλεῖν*. VII, 69. *ἀνάγεσθαι*. VII. 78. *ἰέναι*. VIII, 5. *πλεῖν*. VIII, 6. *πέμπειν* (Vat. *πέμψειν*). VIII, 23. *ἰέναι*. VIII, 66. *μεθιστάναι*. VIII, 79. *ἐπιπλεῖν*. VIII, 85. *ἀποφαίνειν*.

Praesentis et futuri infinitivos conjunctos inveni: IV, 117. *στέρεσθαι — κινδυνεύειν — κρατήσειν* [4]). VI 42. *ὁρμεῖσθαί τε καὶ στρατοπεδεύεσθαι*.

1) Cf. Adnot. ad Vigerum. n. 185.

2) Cf. l. c. pag. 745.

3) Hoc loco *μέλλειν* valet „cunctari“.

4) Cf. ad h. l. Classenium, qui lectionem proditam *κρατήσειν* contra Kruegerum aliosque retinendam esse copiose ac mea quidem sententia rectissime ostendit.

Multo autem major est turba eorum locorum, in quibus futuri infinitivus e verbo *μέλλειν* aptus legitur. Conferamus I, 10. *περαιώσεσθαι*. I, 22. *πολεμήσειν*. ibid. *ἔσεσθαι*. I, 107. *κωλύσειν*. I, 114. *ἐςβαλεῖν*. I, 130. *πράξειν*. I, 132. *κομιεῖν*. I, 134. *ξυλληφθήσεσθαι*. II, 8. *πολεμήσειν*; ibid. *γενήσεσθαι*. II, 12. *διαλύσεσθαι*. II, 13. *ἔσεσθαι*. II, 18. *ἐςβαλεῖν*. II, 24. *φυλάξειν*. II, 67. *ἀναπέμψειν*; ibid. *περαιώσειν*. II, 71. *δῃώσειν*. II, 72. *ἔσεσθαι*. II, 76. *προςπεσεῖσθαι*. II, 89. *πράξειν*. III, 11. *οἴσειν*; ibid. *ἕξειν*. III, 12. *παραβήσεσθαι*. III, 16. *ἐπιπλεύσεσθαι*. III, 20. *ἁμαρτήσεσθαι* — *τεύξεσθαι*. III, 22. *δώσειν*. III, 40. *ἔσεσθαι*. III, 49. *δράσειν*. III, 70. *ἀναπείσειν*. III, 75. *ἀποπλεύσεσθαι*. III, 115. *ἀποπέμψειν*. IV, 1. *ποιήσεσθαι*. IV, 8. *κλῄσειν*. IV, 17. *οἴσειν*. IV, 24. *ἥξειν*. IV, 32. *ἔσεσθαι*. IV, 46. *παραδώσειν*. IV, 66. *προςχωρήσειν*. IV, 68. *ἔσεσθαι*. IV, 76. *προδώσειν*. IV, 108. *πειράσεσθαι*. IV, 115. *προςάξεσθαι*. IV, 121. *ἐγχειρήσειν*. IV, 124. *ἥξειν*. IV, 132. *πορεύσειν*. V, 11. *περιέσεσθαι*. V, 38. *πειράσεσθαι*. V, 66. *μαχεῖσθαι*. V, 75. *ἔσεσθαι*. VI, 8. *δεήσεσθαι*. VI, 29. *ποριεῖν*. VI, 31. *ἀναλώσειν*. VI, 32. *ἀνάξεσθαι*. VI, 66. *ἄρξειν* — *ἂν λυπήσειν*. Haud injuste priori futuro *ἄρξειν* deest *ἂν* particula, quod illius verbi actio vere futura declaratur; sed cum plane esset incertum, utrum equitatus Syracusanorum Athenienses infestaret vel in ipso proelio vel ante proelium necne, *ἂν* particulam adjungere scriptori placuit. VI, 67. *ἐπιχειρήσειν*; item VI, 90; ibid. *παρέξειν*. VI, 99. *ἄξειν*. VI, 104. *πλεύσεσθαι*. VII, 22. *προςβαλεῖν*. VII, 32. *ἄξειν*. VII, 60. *ἕξειν*; ibid. *ἀντιλήψεσθαι*. VII, 73. *ἀκούσεσθαι*. VII, 83.

πορεύσεσθαι. VIII, 2. παρέσεσθαι. VIII, 24. κινδυνεύσειν. VIII, 27. βοηθήσειν. VIII, 39. ἕξειν. VIII, 51. ἐπιθήσεσθαι; item VIII, 73. VIII, 87. χρήσεσθαι. VIII, 88. ἄξειν.

Raro denique, ubi res subito transitura designari simulque μέλλειν derivata significatione usurpari videdur, aoristi infinitivus occurit. Videamus jam exempla: III, 92: προςθεῖναι. — V, 30: σπείσασθαι. — V, 98: γενέσθαι. — VI, 31: ἀπολιπεῖν, ubi unus liber exhibet ἀπολείπειν. — Vis cunctandi his locis cognoscitur: I, 42: κτήσασθαι. – I, 124: μετελθεῖν.

Theses.

I.

Soph. Antig. v. 23. rectistime Caesar χρηστοῖς conjecisse videtur.

II.

Soph. Phil. v. 224. Nauckius immerito e textu ejecit.

III.

Soph. Oed. Col. v. 321 pro codicum lectione „ἐστὶ δῆλον“ cum Herwerdeno lego „ἔστ' ἀδελφόν.“

IV.

Thuc. IV. 10. codicum lectio ὑποχωρήσασι contra Popponem, qui genitivum absolutum suspicatur, optime defendi potest.

V.

Nimium esse videtur, codicem Thucydidis Vaticanum Casselano Augustanoque anteponere (cf. Popp. p. II. vol. I. pg. 39 sqq.).

VI.

Errant, qui in structura, quae perfecti infinitivum post quaedam verba pro praesente praebet, Latinos Graecorum dicendi morem esse imitatos putent.

VII.

Herbstii („über ἄν beim futur im Thuc. pg. 16“) de constructione verborum sperandi judicium minime mihi probatur.

VIII.

Falsa sunt, quae Kruegerus (gr. gr. §. 53. 6. 9.) de infinitivi aoristi, ubi de re futura agitur, usu disserit.